

# DE MOXA.

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM,

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESARĒA LITERARŪM  
DORPATENSI,

PRO GRADU

## DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

## JULIUS GIRGENSOHN,

LIVONUS.

---

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXIII.



**I m p r i m a t u r**

haec dissertatio ea lege, ut, simulac typis excusa fuerit,  
quinque ejus exempla collegio libris explorandis con-  
stituto tradantur.

Dorpati Livonorum d. xvi. Mens. Maii MDCCCXXXIII.

Dr. Frid. Erdmann,  
Ord. Med. h. t. Decanus.

D 16697

VIRO

MAXIME REVERENDO, DOCTISSIMO

**LEONH. GIRGENSOHN,**

DR. MED. A CONSILIIIS AULICIS IMPERII  
RUSSICI.

AVUNCULO, MAXIME DE SE MERITO.

ET

PRAECAEPTORI, AMICO CARISSIMO

**GEORG SCHILLING,**

CUI, SACRORUM CURA DIOECESIS ECCLE-  
SIASTICAE SCHWANENBURGENSIS  
COMMISSA EST.

HASCE

STUDIOSORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## Praefatio.

*Quum in animo haberem, de moxa dissertationem meam inauguralem conscribere, facile est intellectu, me de hac re absque experientia, aliquid novi proferre non voluisse, quum tot tantique viri inter scriptores de hac re enumerentur; sed tum de vi et efficacia hujus remedii satis persuasus, et aliis medicis hoc remedium in mentem revocare volui, ne auxilium quod a moxa est repetendum negligeretur; tum vero ut legibus nostris satisfacerem has plagellas conscripsi. Indulgentia vero lectoris benevoli fretus, spero, fore ut aequo animo literarum primitias excipiat.*

---

## Sectio prima.

### *Historia moxae.*

Quibusnam temporibus prima cauteriorum actualium usurpatio sit adjudicanda, definite constitui non potest, sed cauteriorum usum, maximeque actualium, jam a remotissimis inde medicinae temporibus inter homines viguisse, plurima persuadent. Indica medicina antiquissima sane et graeca multo vetustior moxae efficaciam vehementer laudibus extollit, nec minus sinica et aegyptiaca. Et jam Eryphon medicus Cnidius, quem Galenus adserit ante Hippocratem vixisse, cauteria in sanandis empyematibus adhibuisse fertur \*). Hippocratem jam vim cauteriorum actualium satis cognitam habuisse apho-

---

\*) Kurt Sprengel Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. Thl. 1. p. 844. Halle 1821.

rismus ille nos edocet. „Quaecunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quae ferrum non sanat, ea ignis sanat, quae ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet“ \*). Moxam etiam quamquam alia sub forma et nomine Hippocrati cognitam fuisse omni caret dubio, ut ex nonnullis operum ejus locis \*\*) intelligitur, ubi e. g. ustionem cum lino rudi commendat.

Vacabulum moxae a Sinensibus et Japonensibus per Lusitanos ad nos est translatum, et a metschia, motzchia, moxia est derivandum, quo verbo Lusitani massam significant, e foliis nonnullarum plantarum contortam. Sinenses et Japonenses hanc massam contortam „Kieou“ appellaverunt et quisque suas moxas secum portabat, et tam saepe hoc remedium applicabatur, ut ad sanitatem conservandam, quisque minimum sex mensibus praeterlapsis illud adhiberet \*\*\*) et malificis, in carceribus clausis, hoc beneficium bis vel ter per annum recusari non posset. Scythae vitam vagam gerentes, ab igne plurimis in morbis auxilium petebant, sibi inurentes, humores, brachia, lumbos et thoracem. Lappones, Aegyptii et Arabes cauterium actuale ut remedium universale consideraverunt.

Hoc remedium ab Hippocrate valde laudatum, ab ejus discipulis non neglectum, ad Ro-

\*) Hippocratis Aphorism. 6. Sect. 8.

\*\*) Hippocratis opera omnia van der Linden. Lug. Bata 1663. Tom. II. pag. 180—181.

\*\*\*) Kämpfer's Geschichte und Beschreibung von Japan v. Dohm. Lemgo 1779. Bd. 2.

manos translatum est. Virgilius in Georgicis cantat — „omne per ignem  
 „excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.“  
 Postea vero Archagathus quod nimis frequenter urebat, carnificis nomine donatus, omniumque opprobriis ex urbe pulsus est \*). Nihilo tamen secius ipsi postea Romani, qui medicinae operam dederunt, inter quos Cornelius Celsus celeberrimus, ferrum ignitum caeteraque cauteria valde praedicabant \*\*).

Per totam mediam aetatem apud Arabes cauterisatio culmen splendoris assecuta est, qui tamen hoc remedio ita abusi sunt, ut Abulcasis in omnibus morbis applicaverit. Sed ab hoc inde tempore semper magis magisque ustio neglecta est; tempore quo alchymia maxime dominabatur, cauteria actualia, potentialibus locum cesserunt. Sub finem vero saeculi decimi sexti et decimi septimi Ambrosius Paraeus, Scultetus et Marcus Aurelius Severinus actuale cauterium in usum revocabant. Paulo autem post fidem ei derogabant medici sic, ut instrumenta ad cauterisationem non nisi signa veteris crudelitatis valuerint, et Dionysius haec instrumenta oculis discipulorum suorum offerens, semper dixerit: omnia quidem instrumenta cognoscatis necesse est, sed nunquam tam crudeles eritis, ut haec applicetis. Nonnulli vero denuo ad moxam applicandam ex-

---

\*) Kurt Sprengel l. c. p. 267.

\*\*\*) Corn. Celsi de medicina Lib. VIII. Ex ed Krause. Lips. 1766. Lib. IV. cap. XXII — XXIII.

hortati sunt, Herrmanus Buschoff a Java re-  
 dux complures observationes de arthritidis sa-  
 natione aliorumque morborum moxa applicata  
 publicavit. Joannes Vesling Paviae - professor  
 moxam laudibus extollit. Andreas Cleyer arte-  
 misiam vulgarem ad moxam constituendam com-  
 mendat, quam et Wolfgang Wedel professor Je-  
 nensis valde probabilem invenit; Abraham de  
 Gehema in Polonia moxae virtutes eximia lau-  
 de effert. In Gallia tunc temporis moxa  
 ignota fuit, donec Pouteau et Dujardin primi,  
 civibus suis communicaverunt usum \*). Nunc  
 vero permulta de hac re typis vulgata sunt:  
 Larrey \*\*), Percy et Laurent \*\*\*), Jourdan †),  
 Sarlandiere ††) et alii de moxa scripserunt, fre-  
 quentissimis de hac re experimentis instructi.

## Sectio secunda.

### *Diversae comparationis applicationisque moxae methodi.*

Ad moxam praeparandam jam diversissimae  
 usitatae sunt substantiae, dum ignorantia aut su-

---

\*) Dictionaire des sciences medicales Tom 34. art.  
 Moxa.

\*\*\*) ibidem p. 459.

\*\*\*) ibidem p. 474.

†) Dict. d. sc. medicales. Tom. XV. p. 87.

††) Memoires sur l'electropuncture et sur l'emploi  
 du moxa. Paris 1825.

perstitio variis materiis etiam vires, peculiare in combustione tribuit; ut vero in omnibus aliis cauteriis actualibus vel minor vel major eorum effectus praesertim a capacitate caloris et a breviori vel longiori ustionis mora pendet, sic etiam quoad cylindros ustionis res se habet. Ego hanc substantiam ad praeparationem moxae praefendam esse tenses, quae semel incensa, sine afflatu aut alio auxilio ustionem aequaliter sustinet.

Sinenses et Japanenses moxam formabant e specie quadam Artemisiae; haec planta per longum tempus, immo per annos integros in umbra siccatur, folia et superior plantae pars contunduntur et tam diu manibus conteruntur, donec inde lanugo quaedam oriatur, ex qua lanugine sufficienter purgata, parvi coni vel pyramides formantur, quae cum abhibentur saliva cuti agglutinantur. Artemisia frequenter in his regionibus nascens tamen in agris colitur ut affirmat Ten Rhyne \*); jucundi odoris gratia Sinenses nobiles hanc lanam praeterea cum moscho aliisque aromatibus commiscent \*\*). Tali-um moxarum decem vel plures una vice applicabantur. Prosper Alpinus \*\*\*) de Aegyptiis et Arabiae gentibus narrat: non auro neque alio metallo ignito ad inurendas partes illi utuntur, neque ut alii utebantur buxeis lignis, sed

---

\*) Dissertat de Artbritide p. 96.

\*\*\*) Neue Sammlung der auserlesenen und neuesten Abhandlungen für Wundärzte 14 Stück. p. 88.

\*\*\*) De medicina Aegyptiaca Lib. III. Cap. XII.

gossypio et lineo panno ignito inustionem moliri consueverunt; volentesque inurere aliquam partem corporis, sumunt lineam petiam, cubiti longitudine latitudineque trium digitorum atque gossypii justam quantitatem, quod totum linea praedicta involvunt, ac filo serico ligant ad formam pyramidis, ipsiusque latiorem extremitatem urendae parti applicant, probeque cuti adhaerere student, alterumque caput vel extremum succendunt, comburique permittunt, quosque fasciculus ille ex linea petia atque gossypio omnino crematus sit; continue dum cutis uritur carnem circum circa ferro frigido tangentes, ne ex eo calore aboriatum aliqua inflammatio; observant etiam dum involucrum illud parant ut in ejus medium sit foramen vel meatus per quem fiat aliqua respiratio et eventatio. Persae, stercus capellorum incendentes, sese urebant; Armenii aliique, agarico igniario, Thessali musco sicco, et Laponos ligno putrefacto siccato huic in finem utebantur.

Larrey moxam aegyptiacam a Prospero Alpino descriptam laudibus cumulat, et invenit anulum metallicum tribus capitulis ebeninis instructum moxam ut in loco retineat, aequè ac tubulum apice curvatum ut ignis affletur. Hoc moxae genus vero Laurent et Percy \*) his verbis reprehendunt:

„Aujourd' hui si nous voulions donner un dessin representant un chirurgien appliquant le moxa ordinaire c'est-a-dire le coton, il fau-

---

\*) Dict. des sciences medicales I. c.

„drait le montrer courbé sur le cylindre, les  
 „yeux rouges et larmoyans par l'effet de la fu-  
 „mée, qui est des plus mordificantes, la bouche  
 „pleine d'air, et soufflant pour activer le feu,  
 „et empêcher le coton de s'éteindre, ce que lui  
 „arriverait très probablement sans cette venti-  
 „lation; souvent anhelant et époumoné a force  
 „de souffler, gêné et souffrant par l'attitude  
 „qu'il est forcé de garder, fixant d'une main  
 „le coton qui brûle et éteignant de l'autre les  
 „flammeches qu'il darde de toutes parts; enfin  
 „se fatigant et harrassant pour une opération  
 „si simple et si facile, qu'elle ne mérite pas  
 „même ce nom.“

Alii medici folle parvo usi sunt qui curae  
 adjutoris cujusdam est mandatus; sed ustio non  
 erit aequalis, nam moxa loco afflato citius com-  
 burens et cutem prius tangit, crustam format  
 inaequalem quae diversis temporibus tantum  
 derimi potest. Laurent et Percy moxam e fu-  
 niculo incendiario comparaverunt, eum conscindentes,  
 ex segmentis in filis distractis cylindrum  
 conformarunt quem filo metallico circumdatum,  
 forcipe loco applicationis retinuerunt. Qamvis  
 in nosocomiis militum hoc moxae genus commenda-  
 ri potest, quia brevi tempore praeparatur, substantia  
 tamen neque est satis mollis neque satis homogena  
 ad ustionem aequaliter nutriendam.

Percy demum ut affitum compensaret, cylindrum  
 xylinum in solutionem concentratum niri puri  
 mergendum suadet; sed et hoc modo adustio non  
 semper erit aequalis quia partes in perepheria  
 sitae, ob majorem aëres copiam

semper citius ab igne consumuntur, quam in centro obviae; ubi vero ustio quam diutissime perdurat illic etiam destructio maxima erit, et ideo crusta in media parte semper major conspicietur. Vel et aliud moxae genus Percy \*) nobis proponit, et hanc moxam reliquis, hucusque usitatis eximiis quibusdam commodiis antecellere, affirmat. Substantia est medulla helianthi annui, quae ad urendum sine interruptione prorsus nulla cum nitri solutione eget praeparatione, quum pro indole sua, jam sufficienti nitri copia sit instructa. Quodsi quis hac materia tanquam cauterio uti velit, secundum Percy praeeptum sumat caulem helianthi adulti, justam habentis magnitudinem, indeque cylindros sibi exsecet, dimidium vel integrum pollicem longitudine aequantes, diversoque diametro, qui cylindri jam rudes, uti sunt adhiberi possunt. Quodsi per longius temporis spatium eos conservare velis, opus est ut loco sicco recondantur. Has moxas Percy appellat, „moxas de velours“ superius descriptas vero „Poupées de feu.“ Hae moxae e medulla helianthi annui praeparatae et mihi satis aptae videntur, tum quia adustio, nitro natura aequaliter dispartito etiam aequalis esse debet, tum etiam cortex medullam circumdans ardori adeo resistit ut cylindrus quandiu necesse sit digitis teneri possit nulloque instrumento opus sit.

---

\*) v. Gräfes u. Walthers Journal B. III. Heft 3. S. 491.

Gossypium solutioni plumbi acetici immersum, et postea sufficienter siccatum a nonnullis laudibus extollitur. Vogt et Pommer conulis adoratis utuntur, qui in pharmacopoliis praeparantur, apice et basi paullulum obtusis. Regnault in hydrocephalo infantium linteum cuti et moxae interponit, et tum moxam comburere sinit, et hoc urendi genus „moxam moderatam“ adpellat. Paillard phosphorum adhibet dum unam aut plures particulas lentis magnitudine in cute incendit \*). Gräfe \*\*) kalium in usum vocat, quod petreoleo immersum in formam fabae reducitur, et tunc in cylindro metallico fundo carenti, et cum manubrio instructo, incenditur. Dr. Burns hodie moxam ex ligno putrefacto comparare suadet. Schröder van der Kolk \*\*\*) elegit linteum tenuissimum ex urtica urente paratum (Nesseltuch) quod prius in solutione maxime diluta nitri puri ponit, hoc bene exsiccatur et fasciae in modum, unius pollicis latae convolvitur, tali modo moxa sponte prorsus deflagrat. Novissimis temporibus denuo experimenta faciens Sarlandiere †) moxam praeparavit japonicae simillimam. Folia nempe

---

\*) Theoretisch praktisches Handbuch der Chirurgie, herausgegeben v. Rust. 4te Bd. Artik. Cauterium.

\*\*) Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Tom. XIII. Heft 1. S. 25.

\*\*\*) De phthisi pulmanali; in observationibus anatomico pathologicis.

†) Sarlandiere l. c.

artemisiae vulgaris latifoliae, post occasum solis collecta, per fasciculos loco sicco, suspensa valde exsiccavit et in scatula conservavit. Moxam applicaturus ex hac scatula capit quantum satis ad conum constituendum, cujus basis sex aut octo linearum, indeque usque ad apicem, pollicis unius altitudinem tenet. Hanc massam inter digitos terit, subigitque usque dum conus densus formatus est, cujus basin loco antea paullulum aqua aut saliva humectato, applicat. Ustio sic tarde et aequaliter sustinetur, basisque satis cuti adhaeret; ad dolores diminuendos corpora frigida, metallica, marmorea e.c. partibus circumjacentibus inponere possumus. Japones simul decem conos, quod minimum est, in morbis autem gravibus usque ad ducentos adhibent. Apice conii incensa statim aegrotus locis sensibilibus quasi radiationis sensum animadvertit, persimilem in eorum abdomini existenti sensui, qui syncope pati incipiunt atque medium tenentem inter dolorem et voluptatem. Haec sensatio a propagatione principii calorifici per ramos nervorum est derivanda. Calore autem cuti magis adpropinquato sensim sensimque dolor ad magnum adcrevit gradum, attamen aegroti facilius superatur, quam qui cylindro xylino applicato gignitur, centum quas dicunt secundis praeterlapsis, calor et dolor summam intensitatem assequuntur ab hoc gradu per quindecim usque ad viginti secundas diminitur. Itaque non amplius quam duarum et quadrantis minutarum spatium requiritur, quum in cylindri xylini applicatione solum maximi doloris stadium duodecim usque quatuordecim

minutas perdurat, et calor non sensim sensimque sed repente potius invadit. Nec escharam nec suppurationem tam profundam esse, post moxam japonicam affirmat Sarlandiere, quod vero conjunctum cum breviori doloris mora magnum moxae Japonicae emolumentum videtur.

Larrey \*) nuperrime moxae genus praeparavit quod „petit moxa chinois“ adpellat: ex ligno phosphorescente, lycopodio et filici maris subtilissime pulverisatis, ope spiritus aromatici et balsami indici pastam conformat ex qua peculiari instrumento adhunc finem instructo cylindri praeparantur calami scriptorii crassitudine, longitudine vero dimidii pollicis, qui siccati moxae japonicae faciem prae se ferunt; nam facile comburentes, dolores non causant tam atroces et escharam saepius decidit non relicta suppuratione.

Quum ex hac diversissimarum moxarum copia, quarum omnes adferre nequeo; una sit mihi eligenda, libenter profitear, me de hac re non satis experimentis instructum maximis in dubiis versari. Hanc tamen moxam praefendam esse censeo, quae ut jam dixi, semel incensa sine afflatu aut alio auxilio ustionem aequaliter et tarde sustinet, et quam combustam minima sequitur suppuratio, et nulla ex omnibus speciebus ad hunc finem ita quadrare videtur quam moxa japonica a Sarlandiere praeparata, aut moxa supra descripta quam Larrey praeparavit, et „petit moxa chinois“ adpellavit.

---

\*) Huflands Journal Bd. I. V. St. 1. S. 102.

## Sectio tertia.

### *De effectu moxae in universum ejusque usu in nonnullis morbis.*

Nemo dubitabit vim efficacem moxae in principio calorifico positam esse, et non est, cur sententiae cl. Larrey accedamus, qui e cylindro xylyno urente, non solum calorem gigni, sed etiam principium quoddam volatile existimat, e quorum conflictu incitationem otiri et irritationem, quae ad telas remotissimas sese extendentes nervorum vim deminutam aut sublatam restituant. Potius suspicari posset, electricitatem, quae gignitur conflictu chemico oxygenii cum corporibus comburendis ad effectum moxae conferre, quamquam et haec opinio, nil nisi hypothesis esse potest. Quum vero concedi debeat, principium calorificum, tantum in combustione moxae agere, veterum quoque opinio, quae diversis ad moxam praeparandam substantiis diversas vires medicatrices tribuebat, rejicienda est.

Principium calorificum minoribus jam gradibus totum organismum excitat, et functiones ejus tali in aequilibrio tenet, ut si organismo calor subtrahatur, maximum damnum ex eo percipiatur. In forma sua quam maxime concentrata vero, quum ignis immediate corporis parti imponitur, maximi effectus prouideant ne-

cesse est. Applicationem nempe excitatio et irritatio vividissima omnium corporis systematum subsequitur, tum systematis irritabilis, tum sensibilis tum vegetativi. Systematis irritabilis actione praecipue inflammatio oritur, quae escharam circumdat quae eschara omni expers sensu carbonis naturam induit; systematis sensibilis irritationem dolor per omnes gradus usque ad saevissimum adscendens manifestat; systema vegetativum non nisi maximo in gradu affectum esse, tum, ex irritatione priorum systematum tum ex effectu omnino animadverti licet. — Hac actione incitante et excitante moxa praecipue excellit, et inflammatio cutanea subsequensque suppuratio potius ut malum inevitabile est feranda quam ut salutem ex ea expectare liceret; errant etiam qui existimant moxae, cauterium potentiale subsitui posse, nam ubi cauterium adhibemus potentiale nimiae actionis partium internarum derivandae, et in alium locum transferendae nobis consilium est, quo pars primariae affecta a morbo liberetur; nam unaquaque irritatione locali non solum actio vitalis alicujus partis intenditur, verum etiam affluxus sanguinis aliorumque materiarum irritantium eo perducitur; quae cum aliis partibus, praecipue illis quibus mutuus est consensus subtrahantur, actuositas illarum infrigatur, necesse est. Quum igitur in irritatione locali quadam, moxae ope derivationem producere studeamus remedio tam incitanti, per omnia systemata penetranti nemo non negebit malum primum tantum augeri et in pejus verti. His quidem comotus contendere ausus sum, in moxa adhibenda, derivationem nunquam, sed

potius incitationem et excitationem virium vitalium nobis spectandam esse. Clar. Rust \*) ipse de ferro candente, quod actionis gradu praecipue a moxa discrepat, talia facit verba: Ego censeo actionem salutarem ferri candentis potius derivandam esse ab incitatione vividissima quam exhibet in organo adfecto, quam ab ulcere artificiali; hac incitatione subitanea nempe partes morbosae et depravatae facilius removeri et reproductione partes destructae citius restitui possunt. Larrey \*\*) suppurationem vitandam suadet, liquore ammonii partibus inustis imposito, et moxam japonicam hac ex causa commendat quia tum eschara tum suppuratio non tam profunde protenduntur, plerumque etiam ante applicationem moxae partibus inurendis imponit cucurbitas aut hirudines, ne status inflammatorius eisi occultus in pejus vertatur.

His rebus igitur perpensis, has indicationes universales ad usum moxae constitui posse haud dubito:

- I. Si morbo universali corpus occupatur, qui pro causa sua proxima, languorem, defectum, aut alterationem virium vitalium, habet
- II. In vitiis localibus quibus virium vitalium defectus, aut earum status perversus ansam praebet.

Indicationes contrariae \*\*\*):

- 1) Vetatur usus in individuis tenerrimis qui-

---

\*) Rust Arthrocaecologie.

\*\*) L. c.

\*\*\*) Rust. Lexicon, l. c.

bus nimia inest sensibilitas, in infantibus qui nondum quartum superaverunt annum.

- 2) In vitiis quibus virium vitalium augmentum et status inflammatorius ansam praebet, quae usu moxæ tantum in pejus vertantur, necesse est.
- 3) In omnibus hijs casibus, ubi destructionem partis organicae et secretionem profusam efficere volumus quibus in casibus cauteria potentialia sunt praeferenda.
- 4) Vetatur demum usus moxæ, in omnibus his casibus ubi remediis mitioribus praepositum nostrum assequi possumus, et ubi aegrotus constanter applicationem moxæ repudiat.

Nunc sit mihi concessum de usu moxæ in singulis morborum speciebus verba facere, quam tamen dissertationis meae partem propria experientia destitutus brevibus tantum adumbrabo, lectoribus, cl. Larrey opera praecipue commendans. Ceterum rem illustrare juvabit duobus morborum historiis quas medico maxime honorando mihi quae amicissimo debeo, et quae mihi satis demonstrare videntur quanti praestet moxa multis aliis remediis usitatis.

Adhibita est moxa et secundum testimonia clarissimorum auctorum maxima commoda adferebat

1. In febribus asthenicis, typho paralytico etc., quamquam rarioribus in casibus est adhibita.
2. In morbis convulsivis e. g. epilepsia, hydrophobia, chorea St. Viti, tetano et trismo.

De epilepsia usu moxæ sanata cl. Pom-

mer \*) exempla adfert memoratu digna, et hoc in loco adferam historiam morbi, qui omnibus aliis remediis resistens, moxae auxilio est sanatus. A. v. S. 30 annos nata, magna animi vivacitate, constitutione non infirma sed nimis incitabili praedita, quae, quidem neque affectionibus scrophulosis in juventute, neque scarlatina atque morbillis unquam subjecta, scabie tamen semel infecta fuerat. Decimo septimo vitae anno in febrem nervosam incidit cum subsequente hepatitis quae demum sanata, animi morositatem et crebras turbationes functionum hepatis experta, saepius abhemisrania, diaetae vitii praecipue excitata, vexata fuit, quam post horas duas aut tres vomitus, et postremo somnus profundus excipiebat. Tandem haec mala quidem arte medica remota esse videbantur, sed vicesimo sexto vitae anno caephalalgia acutissima cum spasms clonicis, nullis causis occasionalibus praegressis rediit. Spasmi pectus occupabant, et nunc fletum nunc risum edebat aegrotata, tota facies, et extremitates spasms torquebantur, quae rigiditate dolorosa adfectae erant, etiam nimia sensibilitas visus et auditus adfuit. Qui spasmodorum accessus bis vel ter in die revertebantur et a minutis nonnullis usque ad horam dimidiam aegrotam occupabant; conscientia vero nunquam turbata fuit, quin imo aegrotatae voluntatis imperio paroxysmi tempus brevius reddere potuit. Diaetae vitia et animi pathe-

---

\*) Heidelberger Annalen Bd. III, Heft 1. S. 144.

- bus nimia inest sensibilitas, in infantibus qui nondum quartum superaverunt annum.
- 2) In vitis quibus virium vitalium augmentum et status inflammatorius ansam praebet, quae usu moxae tantum in pejus vertantur, necesse est.
  - 3) In omnibus his casibus, ubi destructionem partis organicae et secretionem profusam efficere volumus quibus in casibus cauteria potentialia sunt praefenda.
  - 4) Vetatur demum usus moxae, in omnibus his casibus ubi remediis mitioribus praepositum nostrum assequi possumus, et ubi aegrotus constanter applicationem moxae repudiat.

Nunc sit mihi concessum de usu moxae in singulis morborum speciebus verba facere, quam tamen dissertationis meae partem propria experientia destitutus brevibus tantum adumbrabo, lectoribus, cl. Larrey opera praecipue commendans. Ceterum rem illustrare juvabit duobus morborum historiis quas medico maxime honorando mihiq; amicissimo debeo, et quae mihi satis demonstrare videntur quanti praestet moxa multis aliis remediis usitatis.

Adhibita est moxa et secundum testimonia clarissimorum auctorum maxima commoda adferebat

1. In febribus asthenicis, typho paralytico etc., quamquam rarioribus in casibus est adhibita.
2. In morbis convulsivis e. g. epilepsia, hydrophobia, chorea St. Viti, tetano et trismo.

De epilepsia usu moxae sanata cl. Pom-

mer \*) exempla adfert memoratu digna, et hoc in loco adferam historiam morbi, qui omnibus aliis remediis resistens, moxae auxilio est sanatus. A. v. S. 30 annos nata, magna animi vivacitate, constitutione non infirma sed nimis incitabili praedita, quae, quidem neque affectionibus scrophulosis in juventute, neque scarlatina atque morbillis unquam subjecta, scabie tamen semel infecta fuerat. Decimo septimo vitae anno in febrem nervosam incidit cum subsequente hepatitis quae demum sanata, animi morositatem et crebras turbationes functionum hepatis experta, saepius abhemicrania, diaetae vitiiis praecipue excitata, vexata fuit, quam post horas duas aut tres vomitus, et postremo somnus profundus excipiebat. Tandem haec mala quidem arte medica remota esse videbantur, sed vicesimo sexto vitae anno caephalalgia acutissima cum spasms clonicis, nullis causis occasionalibus praegressis rediit. Spasmi pectus occupabant, et nunc fletum nunc risum edebat aegrotata, tota facies, et extremitates spasms torquebantur, quae rigiditate dolorosa adfectae erant, etiam nimia sensibilitas visus et auditus adfiut. Qui spasmodum accessus bis vel ter in die revertebantur et a minutis nonnullis usque ad horam dimidiam aegrotam occupabant; conscientia vero nunquam turbata fuit, quin imo aegrotata voluntatis imperio paroxysmi tempus brevius reddere potuit. Diaetae vitia et animi pathe-

---

\*) Heidelberger Annalen Bd. III, Heft 1. S. 144.

mata, causas praebebant occasionales spasmiss excitandis. Huic malo modo gastricismus et infarctus superveniebant quo tempore spasmodorum accessus, novis symptomatibus stipati supervenerunt, nam febre cum magna virium prostratione incensa, cordis palpitationes, lipothymiae, subsultus tendinum et usus vocis cohibitus ceteram symptomatum augebant.

Quid remediorum antispasmodicorum in apparatu medicorum in promptu erat, etiam in hoc casu in usum vocabatur; et symptomatibus jam mitigatis et febre evanescente ad methodum roborantem transire ausus est medicus. Morbum vero ex radice non sanatum esse novus spasmodorum accessus demonstravit, qui terrore quodam excitatus omnibus cum prioribus symptomatibus ingrediebatur, febrem simul reducens. Nunc a magnetismo auxilium quaerebatur quod alia remedia recusabant, sed et ab hoc medicamine praetercurrens levamen tantum experta est aegrotata, quae et nunc de capitis doloribus et tensione molestissima querebatur, cui unguento e tartaro emetico medendum esse, ratus medicus, per aliquod tempus suppurationem in cervice sustentavit qua et omnem tensionem e capite ademit. Extremitatum vero rigiditas et immobilitas ad eum nunc processerat gradum, ut vix et ne vix quidem membra flexione contracta, possent extendi; quodcumque conamen ad ea extentenda paroxysmum spasticum excitavit ita ut aegrotata neque stare neque obambulare neque sedere posset. Totius corporis, praecipue sensuum sensibilitas altissimum nacta erat gradum, et spasmi jam levissimis momentis excitati vix

ullum tempus liberum concedebant aegrotae. Tali in statu miserrima domicilium suum mutans, curae se credidit medici supra memorati, qui examine rite instituto, etiam columnam vertebralem scrutabatur et (quamquam haec quoad formam et directionem a normali haud recesserit) tamen in regionē vertebrae quartae digitorum pressione dolorem excitari cognovit, pressione continuata ad tantum gradum evecum ut spasmum pectoris metueret aegrotata, quae et nunc recordabatur se jam per aliquod tempus ante primum spasmorum accessum huic doloris sensum percepisse inter scapulas, et amica aegrotae affirmabat eam vel gestibus et vultu has dolores prodidisse. Moxam adhibendam constitutum habuit medicus et aegrotata ab hoc remedio sanitatem sperans, a doloribus perferendis non abhorruit. Prima moxarum applicatio inter scapulas jam rigiditatem artuum superiorum diminuebat et mobilitatem brachiorum adaugebat. Moxae semper die decimo quarto repetitae a vertebra superioribus usque ad ossa coccygea, et iterum a scapulis ad inferiora versus applicabantur. Ad usum internum, herba nicotianae, et nux vomica, remedia jam ante moxae applicationem adhibita, et ad spasmorum accessum suppressendum belladonna proprinabatur. Status aegrotae sub hac medendi ratione de die in diem in melius vertebatur, et ab applicatione moxae trigesima prima inde, spes sanitatis in integrum restituendae affulgebat. Jam enim spasmi rarissime et debiles tantum invadunt, extremitates voluntatis imperio obediētes a statu sano non discrepant, et nimia sensibili-

tas quae antea aegrotam excruciauerat nunc pro constitutione et pro morbi mora est normalis, et sic morbus usque ad quartum protractus annum moxae auxilio sanatus videtur.

- 3) Adhibetur moxa porro in paralyisibus: amaurosi, surditate, aponia, blepharoptosi paralytica, et in paralyisi extremitatum inferiorum et superiorum.
- 4) In neuralgiis variis: ischiade nervosa, propalgia etc.
- 5) In rachitide cuius in omnibus morbi stadiis moxam adhibendam suadet Larrey suppuratione vero quam maxime prohibita. In tabe dorsali magnum a moxa auxilium est expectandum, et gonarthrocaces sanatae, exempla adsunt.
- 6) In asthmate, quod vero non a vitis organici pendet. In phthisi pulmonali, quo in morbo Larrey cl. et alii affirmant, non aliud esse remedium quod tanti valeat, praecipue in hoc morbi stadio quo omnibus aliis auxiliis frustra adhibitis aegrotus funesto exitu se obuium fert.

Sed in phthisi pulmonali caute procedat medicus ne status subinflammatorius in pectore usu moxae in pejus vertatur; et hoc in stadio moxa mihi praecipue adhibenda videtur, quo pulmones pure quasi resolvuntur et liquescunt, ut natura hoc incitamento commota vires capiat quibus hoc malum immedicabile sanetur. Mihi igitur sententia cl. Schröder van der Kolk \*) re-

---

\*) Observationes anatomico pathologici et practici argumenti. De phthisi pulmonali p. 97.

futanda videtur, qui hac de re talibus loquitur verbis: „Omnem inflammationem quae transit in „suppurationem, praecedit inflammatio exsudati- „va, id est si decursum inflammationis conside- „remus, primo oritur tumor, exsudatio, et jam „pus formatur, exsudatio lymphae ergo minor „inflammationis gradus est quam puris formatio. „In vomica suppuranti vero haec lymphae exsu- „datio deest, hinc nullum novae materiae in „crementum sed pulmonis econsumptio fit. In „quibusdam vero vomicis hanc suppurationem „sublatam invenimus ita ut ne puris guttula in „vomica esset; postquam talis pulmonis vasa ma- „terie subtili impleveram inveni vomicae parie- „tes vasculis innumeris scatere, quae recens for- „mata videbantur quum a cellularum forma va- „sisque cellulas cingentibus toto coelo different, „in his itaque sanationis initium fuisse conclu- „dimus. Sed non ita res sese habet in vomica „quae pure impleta est; si itaque in vomica „suppurante inflammationem et vasorum orgas- „mum ad illum gradum diminuere valeamus, ut „loco puris lymphae coagulabilis species forme- „tur, vomicae augmentum non tantummodo im- „peditur sed etiam spes affulget, cavum vomicae „lente concretum aegrumque sanum iri; quod „vero usu moxae impetrari posse contendit.“

Mihi vero ex inflammatione diminuta haec sanatio non procedere videtur, quia moxa inflammationem flagrantem incitante indole sua tantum augere deberet, et cauteriis potentialibus et antiphlogisticis: hirudinibus et cucurbitis potius finis noster potendus esset; sed credo moxae usu vires vitales pulmonum jam jam langu-

entes tali modo instigari et augeri ut auxilium quod tantum a natura est expectandum impetretur, et exsudatione lymphae plasticae suppurationi profusiori fines ponantur, quod auxilium potius vi medicatrici naturae, quam inflammationi diminutae debemus.

7) Auxilium in alio gravi morbi petendum a moxa suadet cl. Larrey in Aneurismate cordis nempe, et multa et gravissima adfert exempla sanationis, et sequentibus e rationibus moxam adhibet \*):

Aneurysma cordis tum hypertrophia tum dilatatio cum parietum attenuatione, pro causa sua proxima irritationem agnoscunt, excitatam morbis internis eg. Syphilide, scrophulis, herpetibus et sic porro, hoc morbo interno perversus nutritionis processus in cordis textura oriuntur qui citissime varias hujus organi partes occupat. Duae hic sunt indicationes in sanatione, prima: morbus primitivus debellari debet, et reprimi remediis specificis dictis; altera: contrastimuli topici sunt applicandi qui actionem et tonum ad normalem adducunt gradum quibus adnumerantur: cucurbitae, sanguinis impulsum diminuentes et ad cutem derivantes, hirudines, fomentationes frigidae etc. His remediis irritatione ipsa evanescente, moxa est adhibenda quae talem incitationem in cor et partes vicinas exserit, ut vis medicatrix excitata dissolutionem quasi status prioris adducit et effectum causae internae omnino removeat et structura normalis restituatur. His commotus medicus ille, de quo

---

\*) Larrey clinique chirurgicale.

jam antea verba feci moxam applicare decrevit, et in sequenti historia morbi narraturus sum quid impetraverit, moxa adhibita. P. studiis deditus, jam juvenis a capitis doloribus excruciabatur, qui verticem et suturam sagillatam occupabant, et absque omni pulsationis aut congestionis sensu pressionem potius causabant quae tempore matutino altissimum adscendebat gradum. Huic malo multa et varia opponebantur medicamina, quae et tandem pro tempore capitis dolores molestissimas propellebant. Nonnullis vero annis praeterlapsis dolores capitis denuo intrabant, et sanitatem hujus viri etiam aliae molestiae quae jam antea parvo in gradu locum obtinuerant et nunc sensim sensimque auctae erant, infestaverunt. Pulsus nempe summo in gradu erat irregularis, intermittens, mox tam frequens ut 140 ictus in sexagesima numerari possent, mox lentus, mox tam debilis ut tactu vix distingueretur. Pulsus cordis eandem indolem offerebat, omnino irregularis, non congruus cum pulsationibus ad carpum manus, sonum stridentem peculiarem edebat admota pectori aegroti aure et totum cavum pectoris sinistrum explere videbatur, in quavis pulsatione contractio ventriculorum discernebatur ab ea atriorum; pulsationes solito majus spatium occupabant, digito enim thoraci hic illic impresso a medio sterni usque ad lineam quae ex fovea axillari perpendiculari directione deorsum ducitur, et a margine costarum spuriarum, usque ad quintam vel quartam costam veram sese prodiderunt, vehementiam offerentes, ac si cor cancellos sibi positos perrumpere vellet. Respi-

ratio erat oppressa, difficilis in quavis virium intentione laboriosa; urina nunc omnino suppressa nunc parcior mittebatur; pedes oedemate tumescebant, in vultu alteratio quaedam sententio anxia videbatur, decubitus in latus sinistrum molestissimus et non nisi breve per tempus perferendus. Cui malo, quum pro cordis hypertrophia haberetur venaesectionibus, diaete anti-phlogistica, digitali purpurea, aliisque remediis congruis mederi conabatur, non vero fausto eventu conatus medicum remunerabantur, nam malum de die in pejus vertebatur; oedema pedum, vasorum capillarum turbatam functionem demonstrans, jam crura et genitalia occupare coepit, et virium defectus funestum finem praesagire videbatur, quum ut auxilium postremum quasi, moxa exemplo cl. Larrey in usum vocata est. Applicabatur prima moxa in decursu nervorum intercostalium in hypochondrio sinistro, postremo vero cordis regioni appropinquebatur, et tanti erat effectus ut de die aegrotus melius versaretur, et denique sanitatem suam omnino fere restitutam videret. Collapsus vero lateris morbose adfecti pectoris hoc in casu non adfuit, quod vero cl. Larrey in omnibus fere casibus post usum moxae observasse contendit, quum et obductionibus compertum sibi habere affirmet, cordis volumen, non tantum normalem dimensionem non excessisse, sed etiam volumen normali minus accipisse.

---